



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor
Angelicvs cum Melliflvo,)**

Schweitzer, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.

Dubium primum. Quæ fuerint secundùm S. Augustinum &c. primi hominis
peccata, quibus natura fuit corrupta?

urn:nbn:de:hbz:466:1-39320

DISSERTATIO SECUNDA,

De Primorum Homi-
num peccatis, & peccato originali, e-
jusque in posteros transfusione.



DUBIUM PRIMUM.

*Quæ fuerint, secundum S. Augustinum &c.
primi hominis peccata, quibus natura
fuit corrupta?*

NOTA ex S. Augustino in Enchirid. c. 45. In
illo peccato uno, quod per unum hominem
intravit in mundum, & in omnes homines
pertransit, &c. posse intelligi plura pecca-
ta: sive, ut ait S. Thomas 22æ qu. 63. a. 1. Ad unum
peccatum multos motus concurrere posse, & inter hos il-
lum habere rationem primi peccati, in quo primo inordi-
natio reperitur; hanc autem primò inveniri in motu
ante-

A

ante-

interiori anime, quam in actu exteriori corporis, juxta illud Augustini lib. I. de Civ. Dei, c. 18. Non amittitur corporis sanctitas, manente anime sanctitate.

Respondeo, & dico primò: Peccatum primum hominis primi fuit, secundum S. Augustinum, superbia.

Probatur primò ex Ench. cap. in notabili citato: ubi enumerans S. Pater peccata primi hominis, primò loco recenset superbiam, dicens: *Nam & superbia est illis, quia homo in sua potius esse quam in Dei potestate dilexit.*

Probatur secundò ex l. II. de Gen. ad lit. c. 30. ubi ait: *Quando verbis serpentis mulier non crederet, à bona atque utili re divinitus se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor ille propria potestatis.* Et ibid. c. 34. *Quid mirum, si superbi volentes esse, sicut dii, evanuerunt in cogitationibus suis?* Et ibid. c. 4. *Nec arbitrandum est, quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi praeessisset in anima hominis quadam elatio comprimenda, ut per humilitatem peccati, quam de se falso praeumpsisset, disceret.*

Probatur tertio ex l. 14. de Civ. c. 13. *In occulto autem mali esse coeperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur, non enim ad malum opus perveniretur, nisi praeessisset mala voluntas: porro mala voluntatis initium, quod potuit esse, nisi superbia? initium enim omnis peccati superbia.*

Probatur quartò ex lib. I. de doct. christ. c. 14. ubi S. Pater ait: *Quia per superbiam homo lapsus est, Christus humilitatem adhibuit ad sanandum.*

Pro: